DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE ASSASSINIO,

Quam

Authoritate & Decreto Magnifici & Nobilissimi JCtorum in perlustri Salanâ ordinis

Pro summis in UTROQ; JURE honore, gradu ac privilegiis DOCTORALIBUS consequendis,

PRÆSIDE

VIRO

Amplissimo, Consultissimo, atq; Excellentissimo,

DN. ORTOLPHO FOHMANNO,

JCto eminentissimo, Professore hujus Academiæ celeberrimo, Consiliario Saxon. gravissimo. Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore dignissimo, Promotore ac Præceptore suo omni observantiæ cultu ætatem suspiciendo.

Publico Eruditorum Examini submittit,

Ad diem 5. Novembr.

Horis locoq; consvetis.

SEVERINUS Weiß CIZENSIS.

JENÆ, TYPIS ERNESTI STEINMANNI,

ANNO CIƆ IƆ CXXXVI.

PErscrutanti mihi, quamnam pro gradu disputandi sumerem materiam, nulla commodior visa est eâ, quæ agit de Assassinio. Si enim nihil aliud huic inesset, quod animum meum eò allicere potuisset, certè sola ejusdem amplitudo potuisset. De his namq; omnibus Assassinium participat, de mandato, de locatione & conductione, de lege Corneliâ, de sicariis, & lato deniq; modo de societate; & utut etiam de his omnibus participet, nihilo tamen minus materia non contemnendæ est raritatis, & præter raritatem singularitatis, ita ut non frustra navare operam videar, si hâc vice inauguralem meam disputationem exinde componam: hoc quidem modo, ut 1. dicam â quo jure Assassinium nomen acceperit, 2. Unde dictum sit. 3. Quid sit. 4. Quotuplex sit. 5. Quæ requirantur ut Assassinium commissum esse dicatur. 6. Quomodo processus & inquisitio in illo instituatur. 7. Quæ sint pœnæ hujus delicti. 8. Et ultimò specialia, quæ delictum hoc præ reliquis habet, recenseam. Quod &, invocato prius divino numine, facio: sitq;

§. 1. In jure Civili de Assassinio nullum habemus textum expressum. Nam eo jure venit generali nomine locationis & conductionis operarum, ut in *l. 11. §. 4. ff. d. injur.* licet actio locati & conducti non detur ex hoc contractu, tanquam ex turpi causâ. In jure Canonico habemus utiq;, ut *in cap. 1. d. homic. in 6.* A quo jure Assassinium nomen acceperit.

2. Etymologiam Assassinii duplicem reperi. Veram unã, & propinquam: Falsam alteram & nimis remotam: Illa est, quâ Assassinium derivatur ab Assassinis seu Assissinis, gente quâdam obscurâ & perfidâ. Hæc (quam *Ludov. Carer. in pr. Crim. fol. 137. n 3.* proponit) quâ illud dicitur â scindendo, quod scindat animam â corpore: quam, quia unicuiq; homicidio competit, meritò ridiculam appellat *Tib Dec. tr. Crim. lib. 9. c. 30. n. 4.* Unde dictum sit.

3. De verâ accuratius videndum est, & quidem Assassini quinam fuerint, ubi habitaverint, quidnam demum in more habuerint: Fuerunt autem nil nisi colluvies quædam, ut dictum est gentis obscuræ & perfidæ, ascendentes numerum sexaginta millium virorum: Habuerunt ortum in provinciâ Tyrensi quæ Phœnicis dicitur, & circa fines civitatis Anteradensis, quæ vul-

 gò Tor-

gò Tortoſa appellatur, decem caſtella naturâ munitiſsima tenuerunt: Adhæſerunt ſectæ Eſſenorum, qui putant, poſt mortem nec gaudii nec pœnæ eſſe locum: *Volaterran. lib. 11. Geogr. d. ſectis Syriæ: Gvilielm. Tyrius lib. 20. c. 31. & ſq.* prout eos allegat. *Tib. Dec. d. l. n. 1.* Receptâ Mahumetis perſvaſione ſanctiſsimi omnium à barbaris reputati ſunt: Quem virum optimum judicarunt, illum nullâ ambitione honorum, ſed maximè inter ſe unanimes ſibi in præſectum elegerunt, & ſeniorem, aut Arſacidam appellarunt. Hoc præcipuum habuerunt, ut pro eorum ſectâ mortem obire, & ei infenſos interimere glorioſum exiſtimârint, & ſe exinde immortalitatem conſequi crediderint. Atq; ideô eorum Gubernator ſæpè, quos ille voluit, ablegavit, ut Magnates aliquos Chriſtianos, ſibi infenſos interficerent; qui ablegati, cum à cunabulis plures addidiciſſent lingvas, ſe Chriſtianis, eundem religionis cultum ſimulantes, commiſcuerunt, & viſi occaſione cædem mandatam patrârunt, licet certò ſcientes, ſibi captis acerbiſsimas perferendas fore pœnas, ut ex Paulo Æmilio *lib. 5. d. reb. geſt. Franc.* referunt *Menoch. de arbitr. jud. caſ. 360. n. 41. Duaren. lib. 2. Diſput. anniverſ. cap. 12.* Atq; adeò cædi Chriſtianorum hic populus inhiavit, ut quidam Magnates ab Aſſaſſinis perimi formidantes, coacti fuerint ſecuritatem ab eorundem Aſſaſſinorum Domino impetrare, ut teſtatur *d. c. 1. d. homic. in 6.* Cumq; plures Chriſtiani operam horum Aſſaſsinorum pecuniâ ad inimicos ſuos tollendos conducebant, natum exinde eſt vocabulum hoc noſtrum.

Quid ſit. 4. Eſt autem Aſſaſſinium homicidium in Chriſtianum, ab eo, quem nullâ affecit injuriâ, ad mandatum alterius, mercede hoc nomine interveniente commiſſum.

5. Et ſciendum: hoc in loco Aſſaſſinum dici tam illum, qui aliquem occidi precio interveniente alteri mandat, quam eum, qui ſuſceptâ ab aliquo pecuniâ mediante mandato alterum occidit, licet à quibusdam mandans Aſſaſsinator, mandatarius autem & occidens Aſſaſſinus in ſpecie dicatur. *Carpzov. pract. Crim. part. 1. q. 19. n. 5.*

Quotuplex ſit. 6. Dividitur Aſſaſsinium in Verum & Interpretatum, Verum eſt, quando fidelis ab infideli datâ pecuniâ occiditur. Interpretatum eſt, quando quis operas Chriſtiani conduxit ad occidendum Chriſtianum *Tib. Dec. pracit. loc. n. 13.*

7. Nunc

7. Nunc dicendum erit, quænam requirantur ut Assassinium commissum esse dicatur; ubi silentio non erit involvendum, quod ex communi usu loquendi Assassinium dicatur committi, quando aliquis clam & per insidias, nullis dictis & de retro aliquem occidit. *Tib. Dec. ib. n. 4.* Sicut & homicidium, quod à grassatoribus seu latronibus viarum aut maris perpetratur, vulgò Assassinium appellatur: *Farin. part. 5. Oper. Crim. q. 123. n. 159. & sq.* Sed hæ acceptiones nihil ad nos, nec ista homicidia pro veris Assassiniis à Dd. reputantur. Quæ requirantur ut Assassiniũ commissum esse dicatur.

8. Nam ut tam ex parte Assassini, quam Assassinatoris verè dicatur commissum Assassinium, hæc sequentia copulativè & conjunctim requiruntur: PRIMÒ mandatum ad occidendum, non verò ad vulnerandum tantummodò *Magnif. Dn. Petr. Theod. Præcept. & Promotor meus magnus in Coll. Crim. Disp. 7. θ. 4. lit. A.* Nam textus *in d. c. 1. d. homic. in 6.* saltem loquitur de iis, qui occidunt vel occidi mandant: Quamvis lato modo Assassinus etiam possit dici ille, qui operas suas pro pecuniâ locat ad vulnerandum, quod tu intelligas ad hunc effectum, ut puniatur gravius, quàm si absq; pecuniâ vulnerâsset, vel mandatum de vulnerando suscepisset. *Tib. Dec. d. l. n. 41.*

9. Et opus quoq; est, ut mandatum immediatè ad occidendum detur. Si enim mandatum non immediatè ad occidendum detur, sed ad alium effectum, ex quo possit sequi mors, propriè non erit Assassinium: ut est in eo, qui mandat testi, ut in causâ capitali contra reum deponat, licèt ex illâ depositione facilè reus mortis periculum subire posset. *Farin. part. 5. Operum. Crim. q. 123. n. 149.*

10. Commodè hîc quæritur: Quoniam hîc requiritur mandatum, quid dicendum, si sequatur ratificatio ejus, cujus nomine homicidium patratum est? Anne & eo casu Assassinium poterit dici commissum? Et respondetur, quod sic. Ratihabitio enim æquiparatur mandato. *l. 60. & 152. ff. d. R. J. & l. fin. C. ad Sct. Maced* etiam ubi requiritur speciale mandatum, imò ubi specialissimum *arg. capit un. in fin. d. desponsat. impub. in 6. Bossius tr. Crim. tit. de mandat. ad homic. n. 8.*

11. Nec etiam incongruè hîc ubi de mandato ad occidendum, illa ventilatur quæstio: An & hoc sit Assassinium: Si mulier gravida, forsan quod sui pertæsa sit ponderis, aliam mu-

 lierem

lierem aut virum adeat, consiliúmq; quomodo fœtum aut vivum in utero enecet, aut non vivum abortiat, exposcat? Hoc casu, si mulier consulentis operam mercede conducat (quod ipsum pro tertio requisito infra ponetur) & ipsa conducens, & ipse vel ipsa locans ambo simul Assasinii crimen incurrunt: sive animatus sit fœtus, sive inanimatus, modò sit formatus. *arg. can. 8. c. 32. q. 2.* A tali namq; crimine, propter ipsius turpitudinem & enormitatem (quam merces parit) non solùm jura, sed & ipsa quoq; natura prorsus abhorret. *l. 39. ff. d. pœn. Danbouder prax rerum Crim. c. 83. n. 10. & 11.*

12. SECUNDO: Constet oportet occisum fuisse Christianum. Ista namq; qualitas expressè requiritur *in d. c. 1. Tib. Dec. d. l. n. 10.* Si proinde aliquis infidelis occidatur, vel occidi mandetur, Assasinium non committetur. Cum de his, quæ sunt foris, nihil ad nos. *c. 8. X. d. divort. Farin. part. 5. Operum Crim. quæst. 123. n. 133.* Et si quis accusatur de Assasinio & occisus probatur fuisse Judæus, reus absolvitur à crimine Assasinii. *Ludov. Carer. pract. Crim. fol. 139. n. 21.*

13. Sed quamnam in partem vergit præsumtio: Occisus an præsumitur Christianus, an verò infidelis? Pro Christiano pugnat *Tib. Dec. d. l. & Carerius d. l. n. 22.* Pro infideli verò *Farinac. d. l. n. 138.* Hanc litem benè sopire videtur *Clarus in pract. Crim. §. Assasinium, in fin. princ.* ubi dicit, quod, si occisus reperiatur in territorio Christianorum, intret præsumtio, quod sit Christianus, nisi probetur contrarium; quia infideles in territoriis Christianorum non facile versantur. Hæc tamen præsumtio locum non habebit, si occisus repertus sit circumcisus, utut hoc ipsum sit in territorio Christianorum. Ex hoc enim satis præsumetur, illum non esse Christianum, & huic etiam præsumtioni standum est, nisi probetur contrarium. *Mascard. d. probat. Vol. 1. concl. 138. n. 14.*

14. Occidens autem qualisnam sit, parum refert; Christianus an infidelis. Nam per utrumq; committitur Assasinium per infidelem, nempe, Verum, per Christianum, Interpretatum. Nec obstat adeò, quod aliqui textum *d. c. 1.* restringant tantùm ad casum, quo quis Christianum per infidelem occidi mandavit. Nam verum quidem est, gentem illam Assasinorum occasio-

nem

nem dedisse huic decretali componendæ: interim tamen falsum quoq; non est, illos, qui acceptâ pecuniâ hos, â quibus nullâ omninò affecti sunt injuriâ, incautos & per insidias occidunt, in omnibus similes esse veris illis Assasinis: ut proinde mirum non sit extensam esse illam decisionem ad Christianos, qui ære conducunt Christianum ad occidendum etiam Christianum. *juxta l. 12. ff. d. LL. Tib. Dec. præcit. l. n. 4.*

15. Tertiò requiritur interventus pecuniæ. *Magn. Dn. Petr. Theod. d. l.* & quidem non præcise pecuniæ numeratæ, sed hujus in locum alterius etiam cujuspiam rei. Appellatione siquidem pecuniæ omnia, quæ in patrimonio nostro sunt, sive corporales res sint, sive mobiles, sive soli, sive jura, veniunt. *l. 4. l. 5. l. 178. l. 222. ff. d. V. S. Carpzov. in pract. Crim. part. 1. quæst. 19. n. 38.* Et nihil refert, etiamsi res data vel promissa sit parvi precii. Nam qui etiam ob minimam mercedem aliquem necat, Assasinium committit. *Farin. d. part. 5. Oper. Crim. q. 123. n. 40.* partim, quia & latrocinium commissum esse nihilominus dicitur, etiamsi quis minimi etiam spolii causâ hominem occidat: partim, quia solùm interventus pecuniæ aut alterius rei facit Assasinium, non verò quantitas aut qualitas pecuniæ: partim, quia graviùs delinquit, qui ob leve & minimum, quàm qui ob ingens precium tale factum perpetrat. Et sic etiam Scabinos pronunciare testis est *Carpzov. d. l. n. 43.*

16. Quin & hoc casu verum erit Assasinium, si occidens nihil quidem à mandante recepit, sed occidit, ut ipsi faceret rem gratam: si modò ab illo expectaverit aliquam remunerationem, & mandans hoc, quod factum est, rati habuerit: aliàs Assasinium non est. *Tib. Dec. d. l. n. 16. Carer. in pract. Crim. fol. 137. n. 5.* Non enim sufficit, ut occidens habeat spem in suâ vel suorum personâ succedendi occiso. *Anton. Gabriel. lib. 7. concl. 1. n. 40.* Prout idem est in eo, qui alterum occidit causâ lucrandi litem, quàm cum occiso vel cum alio habebat. Hæc enim spes Assasini qualitatem non producit. *Farin. l. supra alleg. n. 159.*

17. Ut nec Assasinium hoc est, quando is, qui mandat fieri homicidium, mandatario, dum se ad illud præparat, expensas solùm subministrat. Nam cum ex illis expensis mandatarius nihil lucri faciat, neq; ex iis poterit dici corruptus, & non

gratis

gratis facere. Simile esto judicium, quando peracto flagitio datur pecunia mandatario, ut habeat, unde se in itinere, donec in tutum perveniat, alat. *Farin. ib. n. 158.*

18. Sed tamen ut pecunia vel alia aliqua merces intervenisse dicatur, non opus est de manu in manum traditio, sed sufficit sola promissio de dando, licet fuerit facta sine scripturâ & aliâ cautelâ *Tib. Dec. d. l. & n.* Cum enim Assasinium sit homicidium à delinquente ad hoc conducto perpetratum; is qui se per talem promissionem ad hoc scelus committendum induci patitur, optimo jure potest dici operam suam locâsse, quamvis precium non statim ipsi sit solutum. *Carpzov. pract. Crim. part 1. quæst. 19. n. 45.*

19. Circa promissionem verò mirè Dd. inter se digladiantur: Quidam enim tunc demum solam promissionem absq; traditione pecuniæ crimen Assasinii producere astruunt, quando illa certa est, & specifica, non autem quando incerta est & generalis: Unde, si mandans promittat simpliciter dare uni mandatario ea, quæ promiserat aliis, promissionem hanc qualitatem Assasinii non producere. Quidam verò quamlibet promissionem sufficere putant, dummodo acceptata fuerit â mandatario, aut is illius spe ad actum devenerit, ad quem sine dictâ promissione nunquam deventurus fuisset: nec promissionem illam, quæ refertur ad aliam alteri factam, habent pro incertâ, moti *l. 6. ff. d. reb. cred.* ubi certum dicitur illud, quod aut per se, aut per relationem ad aliud certificatur.

20. Nos posthabitâ priori opinione posteriori subscribimus. Si enim sola complacentia cum spe præmii producit qualitatem Assasinii, etiam nulla præmissâ promissione: ut dictum est in *thesi præced. 16.* multò magis producet promissio incerta, quæ spem præmii producit. *Farinac. d. loc. n. 146. Mascard. d. probat. Vol. 1. Concl. 138. n. 2.*

21. Quod si mandans promittat mandatario dare aliquã in uxorem, si hunc vel illum occidat: Anne intrat, & hoc modo crimen Assasinii? Et primâ quidem fronte negandum videtur, quia talis promissio non dependet â voluntate promittentis. Sed tamen verior est Affirmativa, per ea, quæ præcedentî thesi diximus *Farin. cit. loc. n. 45.*

22. QUAR.

22. QUARTÒ: Præter interventum pecuniæ plenè etiã aut per testes, aut per confessionem partis constet necesse est, ipsam pecuniam datam aut promissam esse pro illâ causâ, pro quâ prætenditur datum mandatum, mandatariumq; ejus præmii intuitu aut saltem ejusdem certâ spe mandatum ad finem perduxisse. *Dn. Petr. Theod. l. sup. alleg.* Et hoc requisitum imprimis est necessarium, quando apparet alia aliqua probabilis causa, propter quam ista pecunia fuerit data. Tunc enim potius præsumendum est datam esse ex causâ licitâ. Accipere namq; pecuniam, cum non sit aliquid illicitum, non habet præsumtionem contra se. *Farin. d. l. n. 154. & 156.*

23. QUINTÒ: Ut Assasinium commissum esse dicatur, necesse est, ut ab illo inferatur mors, qui nullâ unquam ab occiso affectus est injuria, & quem occisus verisimiliter non poterat habere suspectum, ipsiusq; progressus observare. Inde, si Pater mandat filio, ut talem occidat, & ille occidit, quæritur an Assasinium dicatur commisisse vel Pater, vel filius, vel uterq;. Et respondetur, quod neuter, licèt etiam omnia reliqua Assasinii requisita adsint. Nam Pater necessariò fuit inimicus illi, quem occidi mandavit, & sic procul dubio etiam filius, adeò quod occisus verisimiliter sibi ab eodem caverit. *Tib. Dec. d. l. n. 18.* Generaliter itaq; Assasinium committi non dicitur ab eo, qui receptâ ab altero pecuniâ occidit communem inimicum, nec mandans hoc in passu est verè Assasinator, sed potius instigator & inflammator. *Farin. d. l. n. 157.*

24. Idem est, quando quis propriam injuriam persequens ipse suis manibus aliquem occidit, & ut hoc facilius præstare possit, alios pecuniâ conducit, qui sibi in homicidio auxilientur: Hoc namq; casu nec ipse principalis in homicidio assistens, neq; conducti auxiliatores possunt nuncupari Assasini. *Id. ib. n. 148.*

25. Videndum nunc quomodo processus & inquisitio ex hoc delicto instituantur: ubi 1. considerandum est, quinam Judex hic cognoscere possit. 2. Ordo Judicii, quinam servetur. 3. quænam hoc loco requirantur probationes. 4. Mandatum intervenisse quomodo & quando præsumatur. Quomodo processus & inquisitio instituantur.

26. Judex competens quis sit, ita declaro: Aut enim constat de qualitate Assasinii, aut non constat. Si constat, Ju-

dex quilibet & ubiq; locorum Assassinum capere & de crimine cognoscere potest. Nam delinquens statim amittit omne privilegium fori. *d. c. 1. d. homic. in 6. Ludov. Carer. pr. Crim fol. 140. n. 42.* Si non constat, non quidem omnes ubiq; Judices cognoscere possunt, sed vel ratione originis, vel domicilii, vel delicti. *Tib. Dec. d. l. n. 30.*

27. Ut autem intelligatur, quid sit constare de qualitatē Assasinii, sciendum est, non statim quando quis Assasinii arguitur, â quolibet Judice posse in eundem inquiri, cum non protinus ex eo, quod arguitur Assasinii, efficitur Assasinus, sed ut amittat privilegium fori, convinci debet per probabilia argumenta, *ut dicitur in d. c. 1. d. homic. in 6.* hoc est per indicia indubitata, & pronunciari ac declarari, quòd sit Assasinus. *Ludov. Carer. d. l. fol. 139. n. 15.* Nam qualitas, quæ defert Jurisdictionem ante omnia debet discuti & probari. Siquidem ubi â lege vel statuto aliquid disponitur cum certa qualitate, qualitas illa est probanda. *l. 4. §. 12. ff. vi bon. rapt.*

28. Sed quid in mandante & mandatario, an sunt conveniendi coram eodem Judice, anve possunt petere se perduci ad eundem Judicem? Et affirmat *Ægid. Boss. in d. tr. Crim. tit. d. foro compet. n. 109.* qui, cum mandans & mandatarius teneantur ex eodem facto, propter causæ connexitatem putat idem judicium requiri. *l. 10. C. d. Jud. l. 9. ff. d. liberal. causâ.* Sed nobis placet negativa Baldi *ad l. 5. C. d. accusat. n. 33.* opinio, ob hanc rationem, quia & mandans & mandatarius obligātur quilibet per se, & in *l. 1. ff. d. quibus rebus ad eundem judic. eatur* (ubi causæ, de quibus coram eodem Judice agendum est, enumerantur) hujus nostri casus ne uno quidem verbo fit mentio, ut proinde sine lege loqui non immeritò erubescamus. *Nov. 18. c. 5. in pr.*

29. Ordo Judicii in hoc delicto maximâ ex parte est diversus â reliquis & singularis. Nam præterquam, quòd in eo procedi possit ex mero officio, potest id etiam fieri juris ordine non servato, sed hoc ita demū, si æquè, ac sup. in thesi 26. requirebatur, constet de qualitate Assasinii, secus quippe est, si dubitetur. *Anton. Gabr. lib. 7. Concl. 1. n. 28.* Et cum aliâs regulariter testes non probent, nisi lite contestatâ, & parte ad videndum jurare citatâ examinati fuerint, *per cap. 5. X. ut lite non contest. l. 19.*

C. d. te-

C.d.testib. & *l. 47. in pr. ff. d. re jud.* tamen hoc in crimine plenam nihilominus faciunt fidem, utut etiam lite non contestatâ, neq; parte ad videndum jurare citatâ examinati fuerint. *Tib. Dec. d. l. n. 23. cum duob. sqq.*

30. Torqueri etiam in hoc crimine, si itidem constet de qualitate Assasinii, potest Clericus â Judice Laico. Puniri namq; potest ab eodem, *uti infra, ubi de pœnis agetur, demonstrabitur*, quidni E. & torqueri, argumento sumto â minori ad majus, ab eo, in quo minor est ratio, ad id in quo est major, juxta *Everb. in Top. l. 15. n. 2.*

31. Sed antequam procedatur contra mandantem, constare prius debet de mandatario. *per l. 66. §. 4. ff. d. furt.* & *per rationem infra in thesi 34. traditam*, & quidem si mandans puniendus sit criminaliter. Nam si puniendus sit solum civiliter, hoc non adeò anxiè requiretur, quia tunc sufficit ut factum sit delictum ab alio, utq; de eo constet, licèt non constet de personâ certâ, textus est *in d. l. 66. §. 4.* ibi. *cum furtum factum non sit. Ægid. Bossius in tr. Crim. tit. d. delict. n. 40.*

32. Sed quid si de mandatario constet, is autem propter contumaciam tanquam confessus & convictus sit bannitus, anne hoc sufficit, ut criminaliter contra mandantem procedi possit? Et certum est non sufficere *per reg. l. 29. pr. ibi verùm oportet constare prius & de crimine pronunciare ff. d. jure fisci. Id. ib. eod. tit. n. 50. & sq.*

33. Anne autem admittetur appellatio in hoc crimine? Nequaquam, ut patet *ex sæpè dicto nostro cap. 1.* Ibi dicitur, quod Clericus, si commiserit Assasinium, privetur beneficiis, quæ is, ad quem collatio pertinet, liberè potest conferre, quod verbum *liberè*, idem esse, *ac non obstante contradictione seu appellatione* volunt Canonistæ. *Farin. d. part. 5. Operum Crim. q. 123. n. 56. Jul. Clar. recept. sent. lib. 5, § Assasinium vers. 4. lit. c.*

34. Probationes quod attinet in hoc delicto etiam discedit ur aliquantulum â jure communi. Notum enim est, quòd in aliis criminibus ex indiciis etiam indubitatis ad pœnam corporalem non possit deveniri, sed requirantur probationes luce meridianâ clariores. *per l. 5. C. d. probat.* In hoc autem delicto potest condemnatio fieri ad mortem etiam per indicia & argumen-

 ta pro-

ta probabilia, *ut loquitur d. c. 1. d. homic. in 6.* Quinimò etiam testis de auditu auditus hoc in delicto facit indicium ad torturam. Nam talis testis facit conjecturam & præsumtionem, quæ probatio per conjecturam hâc in parte sufficit. *Ludov. Carer. in d. pr. Crim. fol. 139. n. 29.*

35. Testis verò contra mandantem non probat, nisi probet etiam de mandatario. Cum enim, juxta tritum, accessorium sequatur naturam principalis, de hoc ante omnia constet necesse est. Mandans autem utiq; est accessorius, & mandatarius sangvinem fundens principalis. Quamvis enim mandans dicatur Princeps delicti, propriè tamen homicida non est, sed per interpretationem, is verò, qui propriis manibus committit homicidium, propriè homicida est, & sic faciens per se subsistit, mandans nequaquam. *d. l. 66. §. 4. ff. d. furt. Ægid. Boss. d. l. tit. d. mandat. ad homic. n. 2.*

36. Confessio autem mandantis non facit plenam probationem ad condemnandum mandatarium, licèt faciat indicium ad torturam, quod ipsum tamen totum pendet ab arbitrio judicantis, qui ex qualitate personarum & cæteris circumstantiis æstimabit, an & quando confessio mandantis sufficiat ad torturam. Quantum verò ad confessionem mandatarii, illa indicium ad torturam contra mandantem non faciet. *Tib Dec. d. l. n. 43.*

37. Verùm si mandans confiteatur de mandatario, hic verò sibi aliquid mandatum esse neget, elideturne hoc casu confessio mandantis, proq; erroneâ habebitur? Et quia ex negatione mandatarii non plenè constat contrarium, non poterit exinde confessio mandantis elidi, præsertim ab illo, qui socius & particeps est criminis, ut dicitur *in l. 11. C. d. testib. Ægid. Boss. d. l. tit. d. delict. n. 50*

38. Et hæc de probationibus: Ut verò mandatum intervenisse præsumatur, non sonus sed substantia verborum attendenda est; licèt itaq; non expressè quis dicat: mando, sed proferat alia verba huic tamen æquipollentia, nihilominus dicitur & præsumitur mandatum; *l. 1. §. 2. ff mand* Sed tamen necesse est, ut verba expressè tendant ad delictum, aliàs si se æquè habeant ad bonum & ad malum, in meliorem partem fieri debet interpretatio. *Bossius d. l. tit. d. mandat. ad homic. n. 48. & 49.*

39. Imò

39. Imò non solùm ex verbis præsumitur mandatum, sed etiam, si verba, quæ audita fuerint, vel audiri potuerint, non intervenerunt, ut E. G. si quis posuisset os ad aurem alicujus, & is in continenti ejus inimicum occidisset. Quod posterius præcisè sequi oportet. Nam aliàs sola oris ad aurem positio non sufficit, quippe cum illa præsumtio, quæ ex verbis expressis resultat, hic desit, ad aliam utiq; recurrendum erit. *Id. ib. eod. tit. n. 48 & 50.*

40. Quid verò si famulus, filius vel consangvineus meus occidat inimicum meum, an hocce præsumatur à me mandatum? Resp. non præsumetur *arg. l. 1 §. 15. vers. nam non gravabitur ff. d. vi & vi arm. Id ib. eod. tit. n. 39.*

41. Hæc de processu & inquisitione in hoc delicto, agendum nunc de pœnis ejusdem, ubi 1. quænam illæ sint, 2. quinam illis subjaceant, quinamve ab iisdem excusentur, expediendum. Quænam sint pœnæ hujus delicti.

42. Et quidem pœnæ hujus delicti sunt sequentes. Primò enim in istiusmodi delinquentes pœna mortis naturalis statuitur, id quod nec Juri divino, nec humano est absonum: Non illi *per cap. 9. Gen. v. 6. cap. 21. Exod. vers. 12. & cap. 3. Apoc. Joan. v. 16.* Non huic *per l. 3. circa med. ibi. homicida quod fecit semper expectet. C. d. Episcop. audientiâ l. 8. C. ad L. Corn. d. Sic. §. 5. Inst. d. publ. Jud.* & per generalem legem talionis. *t. t. ff. quod quisq; jur. & c. 6. X. d. constit.* Quibus ex asse convenit constitutio pœnalis Caroli V. *art. 137.* ubi generaliter ita sancitum est: Ein jeder Mörder oder Todtschläger / wo er deßhalb nicht rechtmessig Entschuldigung außführen kan / hat das Leben verwircket / &c. *Harpr. ad §. 5. Inst. d. publ. Jud. n. 235.*

43. An verò etiam à dicto nostro *cap. 1. d. homic. in 6.* directò & expresse hanc pœnam mortis sancitam esse dici possit, in quæstione est? Ego hoc non dixerim: præsertim cùm non soleat de Jure Canonico pœna mortis irrogari. *t. t. ne Cleric. vel Monach.* & ubi Canones faciunt mentionem de morte, intelligantur de morte excommunicationis *per cap. 13. propè fin. vers. Medium inter. X. qui filii sint legit. Mascard. d. probat. Vol. 1. Concl. 138. n. 3. & sq.* potiùs dicendum est taliter delinquentes Magistratui Politico hoc in loco puniendos tradi, non ab ipso *cap. 1.* ad mor-

tem condemnari: prout expreſsè proteſtatur *cap. ſq. 2. ejusd. tit.* nihil ſcilicet hîc in parte Clericis imputari debere.

44. Dixi pœnam Aſſaſsinii eſſe mortem naturalem. Sed neq; in Jure Civili, neq; in Conſtitutione Crim. Carolinâ, neq; etiam in Jure Saxon. certa pœna pro crimine Aſſaſsinii conſtituta reperitur. Quapropter non una eademq; ubiq; locorum frequentatur, ſed vel hujus criminis Rei præter pœnam gladii priùs per caudam equi ad ſupplicii locum pertrahuntur, ſi videlicet exilioris conditionis homo per Aſſaſsinium occiſus ſit; vel, honeſtiore aliquo interemto, rotâ tunduntur; vel huic rotæ pœnæ, præter tractionem illam, additur & uſtulatio, quæ fit ignitis forcipibus, ſi vis publica cum hoc delicto concurrat. *Carpzov. d. part. 1. pract. Crim. q. 19. n. 10. & 13.*

45. Sunt & qui dicunt reum, poſtquam furcâ ſit ſuſpenſus, aut malleo in capite confoſſus in fruſta ſcindendum eſſe. Alii acerbiores ſunt, ſtatuuntq; reum antequam furcâ ſuſpendatur ad caudam equi trahendum. *Farin. d. part. 5. Oper. Crim. q. 123. n. 2.* Alii deniq;, ex quorum numero eſt etiam *Decian. d. l. n. 31.* pœnam Aſſaſsinorum dictitant abſciſſionem capitis, & corporis in quatuor partes diviſionem.

46. Jure Saxonico, quamvis nulla expreſſa pœna ſancita extet, tamen hoc moribus obſervatur, ut aliter Aſſaſſinator, aliter Aſſaſsinus puniatur. Aſſaſsinator, poſtquam gladio eſt punitus, rotæ in altum erectæ affigitur, quò homines ab ejusmodi facinore eò magis deterreantur, qui certè fructus eſt pœnarum non minimus. *l. 6. §. 1. ff. d. pœn.* Aſſaſsinus autem ſeu occiſor, ſecundum conſvetudinem hujus regionis, Rotæ ſupplicio afficitur: Quam conſvetudinem Saxones hauſiſſe videtur TUM *ex Conſtitutione Crim. Carol. art. 137. & Land Recht art. 13. lib. 2.* ubi pœnâ rotæ affici jubentur latrones, qui homines ſpoliant, & ſpoliis non contenti eos occidunt: TUM ex *Conſt. Elect. Auguſti 5. part. 4.* ubi Veſpillones, & alii, qui tempore peſtis lue illâ infectos, & in agone mortis cumbentes interimunt, & tum obvia quæq; furantur ad ſupplicium rotæ damnantur: in illos verò, qui homines tantùm necant, nec quid furantur pœna gladii decernitur: Cujus conſtitutionis nulla alia dari videtur poſſe ratio, quàm

quòd

quòd posteriores simpliciter occidant, priores autem lucri causâ homicidium committant: Quare cum hæc ratio in Assassinis quoq; locum reperiat, utiq; & eosdem eodem supplicii genere de medio tolli juri & rationi est convenientissimum.

47. Sed quod diximus Assasinatorem gladio puniendum, & ipsius cadaver rotæ postmodum imponendum esse, non procedet in Assassinatore parricidâ, hoc est, qui conducit aliquem certo ære ad necandum patrem, liberos, aliasq; personas, in quas parricidium committitur. Hoc namq; casu pœnâ ordinariâ parricidii, culei nimirùm, vel Rotæ, deficiente copiâ fluminis, afficiendus est. Nam cum hoc loco duo & diversi generis delicta eodem tempore concurrant, non absurdum erit pœnam majoris delicti absorbere pœnam minoris. Et si Assassinator simplici Assasinii pœnâ plecteretur, consequeretur, parricidam, qui mediante Assasinio parricidium committit melioris fore conditionis, quàm illum, qui Parentes, liberos aut conjugem propriis ipse manibus occidit, quod nimis esset absurdum: gravius quippe peccat, qui ad occidendum mercede aliquem conducit, quàm qui ipsemet occidit. *Carpz. d. l.*

48. Deinde committens Assasinium â toto populo Christiano perpetuò est diffidatus. *d. c. 1. d. homic. in 6.* hoc ita intelligendum est, quod cuicunq; concessa sit impunitas tales occidendi, ad exemplum transfugarum, ut est *in l. 3. in fin. ff. ad L. Corn. d. sicar.* adeò ut liceat etiam hoc facere in foro conscientiæ, modò bono zelo id fiat, ne scilicet reus aliis deinceps nocere possit. *Tib. Dec. d. l. n. 7. & 20.*

49. Sed potestne talis etiam â Patre occidi? Affirmat Carerius *in suâ pract. Crim.* propterea quod *in d. c. 1.* cuiq; impunitas concessa dicatur tales occidendi: Sed tamen negativa obtinet. Nam neq; bannitus, qui aliàs quidem â quoquam potest impunè occidi, impunè potest occidi â patre. *Tib. Dec. d. n. 7.*

50. Quod si quis Assasinio non quidem plenè probato, ob contumaciam tamen condemnatus & bannitus fuerit, an poterit impunè occidi extra territorium bannientis? Et negatur per regulam: quòd aliena territoria præstent salvum conductum & securitatem. *arg. l. 5. & 6. C. d. his qui ad Eccl. confug.* Proinde si quis ab Imperatore vel Pontifice est bannitus, per totum

utriusq;

utriusq; Imperium potest impunè offendi, sin autem quis â Civitate aliquâ, vel ab alio inferiorem Imperatore Jurisdictionem habente bannitus fuerit, extra horum territorium impunè offendi non poterit. *Ægid. Boß. d. tr. Crim. tit. d. foro comp. n. 68. & sq.*

51. PRÆTEREA Assassinorum bona occupantibus conceduntur. *d. c. 1. vers. sit cum omnibus bonis suis:* Et consequenter cum talia bona ab omnibus possint invadi & occupari, poterunt utiq; etiam â fisco. *Farin. d. part. 5. Oper. Crim. q. 123. n. 9.* Modò tamen ii Assassini aut Assassinatores non sint Cives talium Civitatum, quæ per privilegium aut aliis ex causis liberæ sint ab omni bonorum confiscatione. *Dambond. d. prax. rer. Crim. c. 83. n. 7.*

52. DEINCEPS. Non solùm ipse qui deliquit, verùm etiam heres ejus tenetur restituere pecuniam, quam ex turpi hâc causâ lucrifecit, & quidem etiam lite non contestatâ cum ipso, licèt in aliis delictis aliter hoc se habeat. Non autem restituere debet ei, qui dedit, sed offenso, vel si hic sit occisus ejus heredi. Nam licèt turpiter faciat, non tamen dicitur turpiter accipere respectu promittentis. *arg. l. 4. §. 3. ff. d. condict. ob turp. causam. Ludov. Carer. pr. Crim. fol. 140. n. 40.*

53. INSUPER: Assassinus incurrit excommunicationē. *d. c. 1.* Et Clericus tale quid committens protinus amittit privilegium Clericale, ut absq; depositione & degradatione possit puniri â Judice seculari. *Ægid. Boß. d. tr. Crim. tit. d. foro comp. n. 142.* & hoc etiam, licèt non appareat incorrigibilitas in delinquente, ût requiritur *in cap. 10. X. d. Jud. Lud. Carer. pr. Crim. fol. 139. n. 25.* Intelligendum hoc tamen est de verbali degradatione, non actuali. Nam ad hoc, ut puniatur corporaliter per Laicum actualis degradatio requiritur. *Id. ib. eod. n.*

54. TANDEM hujus delicti pœna quoq; est, quòd delinquens privetur omni honore, dignitate, officio ac beneficio. *d. c. 1.* ubi Dd. notant, privationem ab honore, dignitate & officio æquâ lance respicere tâm Clericos, quâm Laicos. Privationem verò beneficiorum principaliter solos Clericos, consequenter verò quandoq; etiam Laicos, illos, scilicet, qui beneficiati sunt ab Ecclesiis, pietatis intuitu. *Farin. d. l. n. 13.*

55. Sed

55. Sed quæri poteſt, an dictæ pœnæ intelligantur ipſo jure impoſitæ, adeò ut nulla alia ſententia Judicis requiratur? Et verum eſt non requiri. Nam non ſine ratione *in d.c.1.* dicitur delinquentem *ipſo facto* pœnas incurrere, ſufficit itaque ſententia ipſius Canonis, nec adeò expectanda ſententia Judicis, præſertim cum ſecundùm ipſum *d.c.1.* nullatenus alia excomunicationis, ſeu diffidationis ſententia requiratur. *Farin. d l.n.15.*

56. Non tamen omnē omninò exulare hîc poſſe dicimus Judicis ſententiam, ſed ſaltem, ut vocant, condemnatoriam; ſicut eſt in crimine læſæ Majeſtatis, & aliis delictis, in quibus delinquentes ipſo jure incidunt in pœnam. *Ludov. Car. d l fol.139.n.16.* Declaratoriâ autem Judicis ſententiâ utique opus eſt, ſcilicet ut pronuncietur & declaretur reum eſſe Aſſaſſinum, delictum eſſe probatum, deque eo in actis conſtare, non autem ut in ſententiâ ponatur reum incurriſſe iſtas pœnas Aſſaſſinii. *Id. ib. n.15. Farin. d.l.n.17.*

57. Et ſic etiam pœnas hujus delicti enumeravimus, quibus qui ſubjaceant, quive non, dicendum nunc erit. Rectè autem dixi non ſolùm mandantem, ſed & mandatarium (alio tamē atq; alio modo.) hiſce pœnis ſubjacere. Nam licèt *d.c.1.* ſaltem mandantem videatur dictis pœnis ſubjicere, tamē & mandatarium intelligi rationi & juribus maximè eſt conſentaneum. *Tib. Dec. d.l.n.9.* Cùm enim hæc Decretalis favorabilis ſit & medicinalis Reipubl. & animarum, extendenda utique eſt lateque interpretanda. *Farin. d. l. n.23.*

58. Sed ſi quis mandet uni, ut committat homicidium, hic verò hoc ipſum mandet alteri, an ambo tenentur, primus mandans & ſecundus? Et Affirmatur *arg. l. 5. §. 8 ff quod vi aut clam,* quod idem etiam obtinet in nuncio portante literas, ſi ſcilicet fuerit conſcius criminis, pariter namque tenetur ac mandans, quemadmodum nuncii portantes literas de proditione aut tractatu contra Rempublicam, tenentur ut principales. *l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. Ludov. Carer. pract. Crim. fol. 141. n. 11. & 12.*

59. Fautores quoque ac receptatores taliter delinquentium puniuntur iisdem pœnis, ac ipſi delinquentes *per text in d.c.1. d. homic. in. 6 l. 1. C. d. his qui latron. occult. l. 1. ff. d. receptat. Dam-*

 bouder.

houder prax. rerum Crim. c. 83. n. 7. Et nihil interest, sive publicè, sive secretò Assassinos quis recipiat, utroque namque casu Assassinii punitur, *Farin. d. l. n. 29.*

60. Sed anne & hic incurret pœnas Assassinii, qui Assassinum defendit? Utique *per d. c. 1.* ibi: *vel defenderit.* Defendere autem delinquentem etiam is dicitur, qui ne delictum propalatur etiam examinando testes subtrahit. *Id. ib. n. 30. & 31.*

61. Puniuntur etiam iisdem pœnis ii, qui delinquentibus in delicto auxiliantur. Si namque eâdem pœnâ punitur præstans auxilium post delictum (quales sunt dicti receptatores & defensores) multò magis punietur præstans idem in ipso delicto. *Id. ib. n. 33.*

62. Sed ut præstantes auxilium idem genus pœnarum incurrant, quod ipsi delinquentes, opus est, ut primò ab illis non ignoretur qualitas Assassinii & pecuniæ interventus. Nam si hæ ab auxiliatoribus ignorentur, excusantur quoque à pœnis illius qualitatis. Deinde opus est, ut absente & non existente in actu homicidii mandante auxilium præstitum sit mandatario. Proinde si quis ipsimet principali, qui vindicandæ propriæ injuriæ causâ conductis à se latronibus in homicidio assisteret, auxilium præstitisset, cum nec ipse principalis dicatur Assassinus: *ut supra dictum est thesi 24.* ita neque hi Auxiliatores Assassini dicentur, & p. c. nec pœnâ mortis, morte non secutâ, punientur, licèt deventum fuerit ad actum proximum. *Farin. d. l. n. 15. 33. & 148.*

63. Et cum nostrum *cap. 1. d. homic. in 6.* generaliter loquatur de quocunque Principe & Prælato & de quâvis Ecclesiasticâ & seculari personâ, qui in hoc crimen incidant, non inelegans est quæstio: An etiam Episcopi & ArchiEpiscopi hoc capitulo sint comprehensi? Quod negandum videtur *per cap. 4. d. sentent. excommun. in 6.* ubi Episcopi habent hoc privilegium, quod nunquam intelligantur incurrisse pœnas interdicti suspensionis vel depositionis, nisi hoc expresse dictum sit, & ipsi Episcopi specialiter nominati. Attamen citra absurditatem illud affirmatur *cum gl. in d. c. 1. in verbo prelatus* ob hanc rationem, quod *d. c. 4.* Episcopos & ArchiEpiscopos non eximat

à pœnâ

à pœnâ excommunicationis, sed saltem dispositionis & degradationis. *Tib. Dec. d. l. n. 15.*

64. Sed anne etiam Imperator, si tale delictum commisisset subjiceretur pœnis d. Decretalis? Et si Papalis Curiæ ministros de hâc controversiâ consuleremus, ii, quoniam Papæ omnem superioritatem in hoc mundo, imò in ipsum etiam Imperatorem tribuunt, utique Affirmativè responderent, uti & sunt qui hoc faciunt teste *Tib. Dec. d. l. n. 6.* Nos verò qui scimus Imperatorem nullum caput, excepto cœlorum Rege, super se agnoscere, & proinde à Pontifice judicari & puniri non posse, negativam strenuè propugnamus.

65. De ipso Pontifice etiam quæritur: An is se quoque alligatum voluerit pœnis hujus capituli, si tale quid perpetraret? Et dicendum quod non. In istiusmodi enim dispositionibus semper excipitur persona loquentis *arg. l. 6. C. d. servit. & aquâ Farin. d part. 5. Operum Crim. q. 123. n. 25.*

66. An autem punitur mandans etiam non secuto effectu homicidii? Et distinctim procedendum est. Aut enim verum Assassinamentum tractatum est, & tunc utique tenetur mandans, quanquam nullus fuerit secutus effectus. Nam verba textus *in d. c. 1.* ibi. *interfici fecerit, vel etiam mandaverit.* illum absolutè comprehendunt. Aut tractatum est interpretatum Assassinium, & tunc si non secutus sit effectus mandans, non erit puniendus pœnâ ordinariâ, si mandatarius non devenit ad actum proximum morti, sed valdè remotum. Nam si ille ad actum proximum devenisset, & per eum non stetisset, quin consummaretur delictum, sed occidendus forte fortuna evasit, hoc casu pœnâ ordinariâ hic omninò foret puniendus, *per l. 11. §. 3. ff. de injur.*

67. Et hæc omnia eodem modo ex naturâ correlativorum obtinent etiam in mandatario; ut, si de vero actum sit Assassinio puniatur ille ordinariè, nullo etiam homicidii effectu secuto. Si verò de interpretato Assassinio sit conventum, neque ad actum proximum perventum, puniatur extraordinariè, pervento autem ad actum proximum, ordinariè. Quod ipsum tamen Scabini Electorales eatenus saltem admittunt,

 ut pœna

ut pœna in Assassinatores constituta, gladii nimirum cum impositione cadaveris in rotam, indistinctè tàm Assassinatori, quàm ipsi Assassino ob conatum & attentatum Assassinii imponatur, *Carpz. d pract. Crim part. 1. q. 19. n. 59.*

68. Quin & id, quod dictum est: In hoc delicto pœnâ ordinariâ interdum puniri affectum & conatum, licèt non secutus sit effectus, verum est, si agatur de pœnâ, quæ imponitur à jure communi, sed non æquè si agatur de pœnâ Statutariâ. Nam si de hâc agatur, & delictum non sit consummatum, delinquens non ordinariè sed arbitrariè puniendus est, licèt etiam devenerit ad actum proximum. Natura namque Statutorum pœnalium, secundùm omnes Dd. hæc est, ut requirant delicti consummationem: Imò pœna ista arbitraria non potest extendi ad pœnam mortis. Nam quando propter effectum non secutum receditur à pœnâ ordinariâ delicti, nunquam imponitur pœna mortis, nisi expressè contrarium in jure cautum sit. *Farin. d l. n. 121. & 123.*

69. Verùm contrarium obtinet, si Statutum nedum effectum, verùm etiam conatum pœnâ ordinariâ expressè velit punitum. Nam tunc utique etiam pro solo conatu, licèt effectu non secuto intrat Statuti pœna ordinaria *Id. ib. n. 125.* Non autem videtur Statutum pœnâ ordinariâ punire voluisse conatum, quando utitur verbis non denotantibus actum perfectum. Proinde si talia verba in Statutis adhibita fuére, adhuc non habet locum pœna ordinaria, nisi delicto consummato. *Id. ib. n. 126.*

70. Sed tamen quibus quibus etiam in casibus affectus non secuto effectu puniatur pœnâ mortis, non propterea ligatæ erunt Judicis manus mitiorem pœnam imponere *Farin. d. l. n. 132.* Semper enim, quando in atrocioribus punitur affectus non secuto effectu, potest Judex, licèt non teneatur, reum minori pœnâ afficere. *Anton. Gabr lib. 7. Concl. 1. n. 15.* Regulariter autem, si reus similia delicta committere alias solitus sit, punitur morte ex solo conatu, dato effectum non esse secutum. *Tib. Dec. d. l. n. 39.*

71. Quid verò Juris est in illo, qui cogitavit mandare aliquem

aliquem occidi? Hoc in loco si cogitatio non sit ad aliquem actum perducta, v.g. si cogitans accersivit mandatarium, sed tamen illi delictum non mandavit, cum tamen benè potuisset, quia delictum mandati non est perfectum, neque locus erit alicui pœnæ. *per l.18.ff.d.pœn.* Quod si cogitatio ad aliquem actum perducta fuerit, nec per cogitantem steterit, quò minus id, quod pravè cogitaverat, mandaretur, puniendus est cogitans ac si mandâsset. *Farin.d.l.n.112.& seq.*

72. Si quis offert alicui pecuniam, cum mandato ut talem vel talem occidat, is verò nec pecuniam accipere, nec mandatum exequi velit, quisnam tenebitur? Hoc casu mandans extra ordinem arbitrio Judicis punitur: Mandatarius verò omnis pœnæ expers est. *Harpr.ad §.5.Inst. d. publ. Jud. n.235.*

73. Si quis mandet aliquem occidi, is verò cui hoc mandatum est, occidat ratione odii, quod ipsemet contra occidendum, gerit: quid juris? Resp. Pœna ordinaria, *per ea quæ supra thesi 23. dicta sunt*, non habet locum, sed delinquentes extraordinariè punientur, ratione dati & accepti mandati. *Ludov.Carer. d.l.fol.140.n.44.*

74. Si verò mandatarius excedit fines mandati, an & quomodo tenetur mandans? Et decisio hæc est: si mandatur infligi vulnus, licèt expressè inhibeatur ne occidatur, cum tamen certus modus & mensura in vulneribus infligendis adhiberi non possit, mandans etiam de eo, in quo mandatarius excessit, tenetur. Nam hoc evenire posse debuisset cogitare. *cap. fin. d. homic. in 6.* Si autem mandatur dari colaphus vel percussio cum baculo, secus est. *Bossius tr. Crim.d. tit. d. mandat. ad homic. n.16.* Ejusdem etiam sententiæ est. *Magnif. Dn. Arum. Fac. Jur. Ordin. Præceptor & Promotor meus maximè colendus in Disp. ad n.25. th.12.*

75. Sed anne & pœnitentiæ locus est in hoc delicto: hoc est, si mandans & dans pecuniam pœnitentiâ ductus revocet mandatum, an nihilominùs incurret pœnas Assassinii? Et regulariter quidem pœnitentia & affectus resipiscentis in quibusvis, etiam enormibus criminibus prodesse debet *juxta*

 text.

text in l.19. ff. ad L. Corn. de fals. Damhouder. prax. rer. Crim. c.83. n.8. Verùm in decisione hujus quæstionis distinguendum est ita:

76. Aut enim mandans revocat mandatum re adhuc non integrâ, & tunc tenetur pœnis Assassinii. *per l.65. ff. d. furt. Ludov. Car. d. pract. Crim. fol.138. n.8.* Aut revocat mandatum re quidem integrâ & antequam mandatarius deveniat ad aliquem actum, sed tamen illi revocationem non denunciat, & tunc etiam ordinariè punitur non obstante revocatione: Aut revocat antequam à mandatario deventum sit ad aliquem actum, & revocationem illi quoque notificat, isque factâ revocationis notificatione nihil agit, sicque nullus sequitur effectus, & tunc non punietur de Assassinio, sed extraordinariè, scilicet propter turpe pactum. Aut non obstante revocationis notificatione mandatarius procedit ad delictum & occidit, & tunc mandans non tenebitur de occiso, sed extraordinariè. *Tib. Dec. d. l. n.36. & 37.* Idem etiam est; si mandans sui mandati revocationem intimaverit occidendo. Nam sive mandatarius deveniat ad actum remotum vel proximum, sive etiam omninò occidat, non intrat ordinaria pœna Assassinii. *Farin. d. l. n.88.*

77. Quid si mandans diffamatum & delatum apud Judicem se sentiat, & propterea mandatum revocet, anne proderit illi hæc revocatio? Et cum hæc revocatio non possit dici re integrâ facta, neque revocantem juvabit, scilicet ut evadat omnem pœnam, sed benè ut evadat ordinariam. *Farin. d. l. n.89.*

78. Quid verò si mandatarius post pactum, postq; mercedem acceptam pœnitentiâ ductus ad conductorem seu mandantem redeat, & dicat se iniquè fecisse, pacti pœnituisse, & nequaquam tale crimen committere velle: An is eâdem pœnâ afficiendus sit, quâ afficeretur, si nullâ pœnitentiâ motus mandatum hoc delictum perpetrâsset: quæritur? Et si re adhuc integrâ, & antequam ad actum proximum deventum sit mandatarium pœniteat, pactoque is renunciet, non pœnâ mortis, sed mitius & extra ordinem puniendus est, ad Exemplum mandantis resipiscentis. *Damhouder. d. prax. rer. Crim. c.83. n.9.*

Sed

79. Sed si jam deventum sit ad actum proximum & tunc demum mandatarium pacti poeniteat, an proderit illi ad evitandam poenam ordinariam haec poenitentia? Et sanè si mandatarius, postquam devenerit ad actum proximum, potuit quidem delictum penitus perficere, sed poenitentiâ ductus noluit ut perficeretur, liber erit à poenâ ordinariâ. Si autem fecit, quantum in se fuit, nihilque quo delictum perpetretur intactum reliquit, sed per alia impedimenta illud in effectum traducere non potuit, tunc utique locum habebit poena ordinaria. Crimen namque contrahitur, si & nocendi voluntas intercedat. *l. 1. C. ad L. Corn. d. sic.* & pulchre facit pro hâc distinctione *gl. ad cap. 23. d. poen. dist. 1. in verb. se poenitentiae* quae dicit: Clericum qui voluit committere homicidium, quod tamen non patrarit, quia non potuit, nihilominus esse irregularem. *Mascard. d. probat. Vol. 1. concl. 139 n. 7.*

80. Generaliter itaque ea, quae de actu proximo dicuntur, quòd scilicet operetur poenam ordinariam, tunc habent locum, quando mandatarius & executor nullâ poenitentiâ ductus, sed extrinsecus adveniente aliquo obstaculo fuit impeditus delictum perficere. Non autem quando nullo superveniente impedimento, sed solâ poenitentiâ ductus delictum perficere noluit, quod aliàs, si voluisset, potuisset. *Farin. d. l. n. 95.*

81. Potest autem dubitari quandò quis dicatur ad talem actum pervenisse, qui verè possit dici proximus: Quidam putant, tunc dici deventum ad actum proximum, quandò deventum sit ad offensam aliquam. Quidã verò tenent, sufficere quod conductitius satelles devenerit ad locum maleficii perpetrandi. Quidam denique etiam satis esse statuunt, si mandatarius devenerit ad aliquem actum ultra tractatum, & sic non steterit in nudis terminis cogitationis. *Tib. Dec. d. l. n. 38.*

82. Nos verò cum *Farin. d. l. n. 106.* statuimus, ad hoc, ut actus dicatur proximus requiri, ut sit immediatus, ut alius non detur actus magis delicto proximus, utque sit directus in ejusdem delicti consummationem, ita ut sit ultimus actus, qui à delinquente agendus est ad criminis perfectionem:

Qui

Qui quidem ultimus actus non potest verificari, nisi in offensione aut saltem in insultu. *Carpz. pract. Crim. part. 1. q. 19. n. 58.* Proinde si tantummodò animo occidendi cum telo quis ambulaverit, actus dicitur remotus, nec pœna imponetur ordinaria, sicut nec imponitur, quando processum est ad alium aliquem actum ordinatum ad delictum *Farin. d. l. n. 108.*

Quænam hoc delictum præ reliquis habeat specialia.

83. Et hæc etiam de pœnis. Nunc ultimò exponendum est, quænam præ reliquis hoc delictum habeat specialia: Et hæc maximâ ex parte possunt peti ex iis, quæ supra de Judice hujus criminis cōpetente, de ordine judicii, de probationibus, de testibus & denique de pœnis recensuimus, quibus addimus sequentia.

84. Constitutio de homicidio loquens, seu etiam aliquo casu fieri homicidium permittens, non procedit in Assassinio, ut E. G. Bannitus licèt possit impunè occidi, non tamen potest occidi per Assassinium. *Tib. Dec. d. l. n. 10.* Constitutio verò contra homicidas, seu homicidii mandatores loquens, & in homicidarum odium facta ex majoritate rationis extenditur etiam ad Assassinos. *Farin. d. l. n. 74.*

85. Impetratâ generali abolitione, non censetur impetrata abolitio hujus criminis. *Tib. Dec. d. l. n. 28. Ludov. Carer. D. pract. Crim. fol. 140. n. 38.* Imò quod majus est defensionibus quoq; suis Assassinus, tanquam hostis publicus & diffidatus à lege renunciare potest, cum tamen alius non possit. *Tib. Dec. d. l. n. 29. & Car. d. l. n. 39.*

86. Inter inimicos bellum gerentes per Ecclesiam certis diebus indictæ sunt treugæ, ut videre est *in cap. 1. X. de treug: & pace*, contra Assassinos verò omnibus diebus potest bellum exerceri, quod ipsum satis evincit verbum *perpetuò* positum *in d. c. 1. d. homic. in 6.* Et quamvis ipsis specialiter facta fuisset treuga & assecuratio, non tamen servanda esset fides, ut vult. *Tib. Dec. d. l. n. 33.*

87. Est etiam speciale, quod Assassinus ad Ecclesiam confugiens illius immunitate non gaudeat, sed possit ab eâ invitus extrahi per quemcunque Judicem secularem. *Anton Gabr. lib. 7. Concl. 1. n. 36. Jul. Clar. lib. 5. recep sent. §. Assassinium vers. 5.* Et

hæc

hæc de Assassinio pro ingenioli tenuitate congessisse sufficiat: Quò verò uberior ad opponendum pateat campus,

Hæc sunto Corollaria.

Ex Jure Civili privato.

I.

An merum Imperium præscriptione poßit acquiri? Neg.

II.

An redditio Chirographi tacitum inducat pactum de non petendo? Aff.

III.

An suppellex studiosorum tacitè obligetur pignori ex inductione in Musæum facta? Aff.

Ex Jure publico.

I.

An frater in regno natus, quoad succeßionem regni præferatur fratri ante regnum à Patre adeptum nato? Aff.

II.

An Elector sibi ipsi votum dicere queat in Electione Imperatoris aut Regis Romanorum? Aff.

III.

Studiosi, qui literis non dant operam, an gaudeant studiosorum privilegiis? Neg.

Ex Jure Canonico.

I.

An confeßionem sibi factam in pœnitentiali confeßione Sacerdos vocatus in jus rectè revelet? Neg.

II.

An consensus Parentum hoc jure de necessitate requiratur ad nuptias? Aff.

III.

An mortaliter peccet, qui ad beneficium aut munus publicum eligit hominem dignum prætermisso digniore? Dist.

Ex Jure feudali.

I.

An non cautionis remedio intercedente in rebus immobilibus feudum constitui possit? Neg.

II.

An ususfructus feudi filio concessi acquiratur Patri? Neg.

III.

Concessa in feudum Jurisdictio an cumulativè an abdicativè concessa intelligatur? Post. Aff.

Ad Clarissimum & Doctissimum Dn. Doctorandum.

DUm CONDUCTITIUM CRIMEN *tua Suada diserta*
INJUSTÆ CÆDIS *dirimit atq; docet.*
Hinc tibi provenient tanquam de divite cornu
Innumeri fructus: GLORIA, LAUS & OPES.
Hinc tandem tanges rerum fastigia summa,
Inq; foro Themidos nobile numen eris.
Hinc natale solum suavissima jubila tollet,
Atq; patri viduo vota secunda dabit:
Ut rapidæ parcæ parcant, & stamina vitæ
Longa trahant GNATO, *cum* GENITORE *pio.*

Sic ex animo gratul.
Johann Helwig Sinolt
genandt, Schütz.

Qui